

22. Jure autem Decretalium Greg. IX. statuta est pœna suspensionis et excommunicationis ferendæ sententiæ *cap. 1. h. t.* Accessit inde Const. Clementis V. in Conc. Viennensi in Gallia celebrato ann. 1311. relata in *c. un. De Consanguinitate et affinit. inter Clementinas*, in qua decernit Pontifex, Clericos majores matrimonium contrahentes esse ipso facto excommunicatos. Hanc excommunicationis latæ sententiæ pœnam renovavit Pius IX. in Const. *Apostolicæ Sedis, edita quarto Idus Octobris ann. 1869*, ejusque solutionem reservavit Episcopis seu Ordinariis.

23. Hæc vero pœna excommunicationis clericos majores percellit, etiamsi solummodo attentaverint matrimonium; nam si etiam illud consummare ausi fuerint, contrahunt etiam irregularitatem bigamiæ similitudinariæ ex *c. 7. De Bigamis non ordinandis*. Insuper post *can. 9. cit. sess. 24. de Ref. matrim. in Tridentino*, si clerici majores matrimonium attentaverint cum errore formali, scilicet arbitantes matrimonium attentatum revera validum esse, considerari debent ceu hæretici, et pœnis plecti possunt contra hæreticos latis. — Hæc de clericis latinis.

24. Contra clericos majores græcos matrimonium contrahentes post ordinationem ex lege generali trullana in *cit. can. 6º*, decernitur pœna depositionis. Contra vero Italo-græcos Benedictus XIV. in *cit. § 7. Const. 'Etsi Pastoralis'* confirmat pœnam depositionis, simulque statuit excommunicationem latæ sententiæ.

TITULUS IV.

De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

1. Unum ex capitibus honestatis externæ clericorum est ut ministeriis suis rite fungantur. Quare postquam actum est de vitæ et morum probitate sive relate ad illicitam, sive relate ad honestam cohabitationem clericorum cum mulieribus, merito proponitur tractatio de residentia clericorum in loco beneficii sui; quæ residentia plurimum influit in laudabile exercitium ecclesiastici ministerii.

Residentia definiri solet: Commoratio assidua seu ferme continua in Ecclesia, seu loco beneficii servitii ecclesiastici personaliter præstandi causa. — Hinc in sensu canonum revera non residet, qui officia ecclesiastica non præstat, quamvis in regione vel urbe commoretur, ubi beneficium possidet. Immo ut adnotant doctores, residere in sensu canonum nihil aliud est, quam deservire

officiis divinis in Ecclesia, in qua quis residere debet. Hinc residentia clericorum dicitur commoratio laboriosa.

2. Hæc residentia dicitur *vera et realis*; datur autem etiam residentia *ficta*, quæ locum habet, quoties clericus cum deberet aliquo in loco commorari et Ecclesiæ inservire, ibi ex legitima causa non commoratur; attamen fictione juris censetur residere. Quare licet revera alibi commoretur clericus, nihilominus fructus sui beneficii percipit, proinde ac si officia personaliter adimpleret.

3. Ecclesiæ vox, de qua in rubrica tituli proprie, exprimit beneficium, cui adnexa est cura animarum, sive proprio nomine possideatur, sive vicario nomine, sive sit beneficium majus ex. gr. Episcopatus, sive sit minus ex. gr. Parœcia. Præbendæ autem vocabulum significat quodcumque beneficium cui adnexa non est animarum cura.

4. Inspecta beneficiorum primæva institutione, dicendum est, omnia prorsus beneficia secumtulisse personalem clerici residentiam. Nam beneficia instituta sunt ceu totidem tituli, idest ceu definite stationes clericorum, in quibus clerici ecclesiastica servitia exhiberent, simulque ab Ecclesia consequerentur unde honeste viverent. Quare in qualibet Ecclesia tot clerici ordinabantur, quot erant tituli. Igitur juxta juridicum conceptum, cuilibet beneficio adnexum est officium et quemadmodum docet *cap. ult. De Rescr. in 6º, beneficium datur propter officium*; Pontifex autem in *c. 13. De Præbenda* docet *singula officia exigere assiduitatem personarum*. Nec ex jure communi antiquo exiguitas beneficii ab obligatione residendi eximere poterat. Etenim ipso beneficio privari poterat clericus, qui prætextu exiguitatis officia seu servitium Ecclesiæ non præstabat *c. 6. h. t.* Verum immutatis rerum adjunctis, desinere incepit pro aliquibus beneficiis ratio obligationis servandi legem residentię.

5. Instituta enim sunt a fidelibus beneficia, quæ cum ex una parte non satisfaciebant honestæ clericis sustentationi procurandæ; ex altera autem parte onera adnexa habebant, quæ alibi etiam extra Ecclesiam beneficii persolvi poterant, ex. gr. onus recitationis privatæ horarum canonicarum, aut aliarum precum. Hinc ex rationabili et universali consuetudine inductum est, ut nonnulla beneficia legem residentię non secumferrent. Inceperunt inde distinguere beneficia residentialia et non residentialia, quæ communi acceptione hodie appellari solent beneficia simplicia. De beneficiis

igitur residentialibus in titulo nostro agendum est; et primo loco de illis, quæ nomine Ecclesiæ veniunt, quibus scilicet cura animarum adnexa est.

6. Quod jure ecclesiastico ad personalem residentiam teneantur clerici, qui possident hæc beneficia, patet ex pluribus locis. Faciunt ad rem *c. 2. et 9. h. t.* et aliis omissis, *c. 1. sess. 6. et c. 1. sess. 23. de Ref. in Tridentino.* Quæstio potius a Doctoribus proponitur, utrum hæc personalis residentia a clericis curam animarum exercentibus exigatur etiam *jure divino.* Hæc quæstio agitata fuit in ipso Concilio Tridentino *sess. 23.* et patres in binas sententias divisi sunt. Res autem ita composita est, prout refertur in *c. 1. cit. sess. 23.* *'Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant etc. . . .'* Plures et quidem optimæ notæ inter Theologos et Canonistas, quamvis fateantur, decretum Tridentinum non referre characterem dogmaticæ definitionis, cum non inter canones et articulos fidei a Concilio recenseatur, sed exhibeatur inter decreta reformationis disciplinæ; tamen docent, ex verbis expositis satis, superque probari, residentiam personalem pastorum ecclesiasticorum præcipi ab ipso divino jure. Dicunt enim, absque reali residentia et vera, idest absque personali præsentia personæ præstari non posse ea quæ ex divino præcepto juxta Tridentinum pastores Ecclesiarum exequi tenentur. Porro qui jure divino tenentur ad finem, tenentur eodem jure etiam ad media.

7. Non videtur tamen undequaque probanda horum doctorum sententia, præsertim cum, ea admissa, non appareret quomodo ecclesiastica potestas posset ab onere residendi Episcopum dispensare, quemadmodum fecisse quandoque videmus. Potius dicendum esse arbitramur, obligationem personalis residentiam pastorum ecclesiasticorum esse de jure ecclesiastico fundato tamen in intentione juris divini, non esse vero de stricto jure divino. Et sane, ut osten-

derent prioris sententiæ patroni personalis residentiam obligationem proprie esse de stricto jure divino, demonstrare deberent, ea officia, quæ juxta Tridentinum ex præcepto divino pastoribus incumbunt, nullatenus, nec saltem sufficienti convenientique modo etiam in absentia et per alios præstari posse. Verum nemo denegabit, pastoralia officia esse delegabilia *cap. Inter cætera c. 15. De Off. Jud. ordin.* et vigilantiam seu vigilantem assistentiam a solerti pastore posse exhiberi, licet absente; quemadmodum de se testatur Paulus in *2^a. ad Cor. c. 28. Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

8. Hinc Tridentinum in loco citato præceptum idest jus divinum invocans proprie non condemnat ipsam absentiam corporalem pastorum, sed *desertionem Ecclesiæ;* condemnat scilicet pastores qui ita absunt ab Ecclesia ut more mercenariorum quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, dominicum gregem *deserant.* Condemnat ergo proprie ex virtute præcepti divini curæ negligentiam et ovium contemptum, non ipsam absentiam pastorum.

9. Ceterum quamvis personalis residentia pastorum non sit de stricto jure divino, tamen maxime congruit cum officiorum pastoralium conceptu, quem nobis divina institutio et missio pastorum offert. Quisque enim per se melius pascit gregem suum, quam per alios; hinc dicimus legem personalis residentiam fundari in intentione juris divini. Igitur concludi potest, residentiam pastorum sive per se, sive per alios præstandam eisdem pastoribus a divina lege juberi, residentiam vero personalem, id est per seipsos præstandam juberi a jure ecclesiastico.

10. Ecclesiastica lex personalis residentiam præter Episcopos aliosque Prælatos regimen Ecclesiarum habentes, et præter rectores Ecclesiarum quibus cura animarum adnexa est, obligat etiam canonicos et beneficiarios Ecclesiarum Cathedralium et collegiatarum, ob chori et altaris servitium, quod præstare tenentur; potest etiam obligare possessores aliorum beneficiorum in Ecclesiis non collegiatis erectorum, si vel ex constitutionibus earundem, vel ex lege foundationis, vel ex legitima consuetudine clericus beneficii possessor per se ipsum in Ecclesia sua adsignata sibi officia exsequi teneatur. Si attendamus ad juris ecclesiastici dispositionem, videmus, Ecclesiam constanter adlaborasse, ut clerici in loco beneficii sui residerent; ac pœnam privationis beneficii statuisset contra delinquentes.

11. Verum agniti simul est, rationalem causam dari posse, quare Clericus excusaretur a personali residentia. Intimant hanc exceptionem ex legitima causa *cap. 4. et ult. h. t. nec non c. un. h. t. in 6^o.*, expresse autem rem definit et ipsas causas adsignat Concilium Tridentinum in *sess. 23. c. 1. De Refor.* Causæ vero sunt quatuor: scilicet 1^o. *Christiana charitas*, 2^o. *urgens necessitas*, 3^o. *debita obedientia*, 4^o. *evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas*. Hæ quatuor causæ, quæ ut principales, seu potius genera rationabilium causarum, quoties etiam singillatim verificentur, excusant clericum a temporali absentia a loco beneficii sui.

12. Sed pastores et rectores animarum cavere debent ut quantum fieri potuerit, ex ipsorum absentia fideles eorum curæ commisi nullum damnum accipiant. *Conc. Trid. in cit. loco.* Breviter singulæ enumeratæ causæ explicandæ sunt.

13. Et primo quidem christianæ charitatis nomine intelligitur spirituale bonum proximi nostri procurandi necessitas, quod bonum probabiliter ab alio quam ab ipso clerico sperari æque non posset. Hinc juxta exemplum S. Pauli qui Timotheum aliosque discipulos, particularium Ecclesiarum Episcopos, ad alienas Ecclesias abire jussit pro causa fidei promulgandæ vel confortandæ inter fideles, poterit Episcopus ad alienam Diœcesim transire pro negotio fidei tuendæ, si prædicatione sua possit gliscentibus erroribus resistere, aut schismatis periculum remove. Sic etiam ratio administrandorum sacramentorum in alienam Diœcesim vocare potest Episcopum. Pariter ob christianam charitatem reliqui clerici alio se possunt conferre, ad pacem conciliandam inter dissidentes, vel ut revocent peccatores ad bonam frugem; dummodo vero hæc omnia per alium æque præstari non possint.

14. Secunda causa est *urgens necessitas*. Hæc necessitas vero non ea est, quæ ex publica loci calamitate oritur; sed ex personali ratione ipsius clerici derivat. Hinc sufficiens absentia ratio esset infirmitas clerici, aut persecutio directa contra ipsum. Diximus necessitatem excusantem in ratione personali esse constituentem; nam si de ratione communi sermo esset, clerici curam animarum habentes, quemadmodum parochi, vel regimen Ecclesiarum retinentes uti Episcopi, recedere nequeunt a propria residentia ex. gr. tempore pestis, vel tempore persecutionis contra fidem. Sic statuitur in *cann. Suggestum, Suscitatis et Adversitas § Hoc tunc causa 7. q. 1.*

15. Tertia causa est: *Debita obedientia*, si nempe Summus Pontifex Episcopum sive per mandatum extraordinarium, sive per legem ordinariam visitationis Sacrorum liminum advocet: vel Episcopus clericum sibi subjectum ad tempus alio avocet ad aliquod negotium diœceseos peragendum; ex. gr. ad visitandam Diœcesim, vel partem ejus *c. 7. h. t.*

16. Animadverti vero debet Episcopum non posse Parochum assumere ad officium quod habitualiter absentiam a loco beneficii exposcit ex. gr. ad officium Secretarii, Vicarii Generalis, Fiscalis, Visitatoris ordinarii Diœceseos etc. . . . quemadmodum ex mente Sacræ Congregationis Concilii probant Garcias *De Beneficiis part. 3. c. 2. n. 40. et seqq.* aliique canonum Doctores. Sane proposito dubio: *an dignitas, seu canonicus Ecclesiæ cathedralis, cui est adnexa cura animarum, possit exercere munus Vicarii Generalis?* Sacra Congregatio die 3. Februarii 1685 respondit: *Negative.* (*Lib. Decret. XI. ss. p. 29.*)

17. Quarta causa legitima absentia est *Ecclesiæ vel Reipublicæ evidens utilitas*.

Et Ecclesiæ potest esse vel propriæ Ecclesiæ, in qua nempe Clericus residere debet, vel Ecclesiæ universalis. Et 1^o. *Propriæ Ecclesiæ* si ex. gr. alibi commorari ad tempus debeat Episcopus vel Parochus pro tractanda lite, vel et pro remediis parandis, novis casibus emergentibus ejusdem suæ Ecclesiæ. 2^o. *Ecclesiæ universalis*, quoties nempe ad Concilium œcumenicum accedendum est vel ecclesiastica legatione ungendum sit ex mandato Pontificis.

Ex dictis sequitur, utilitatem Ecclesiæ non propriæ haud quam esse legitimam causam, ob quam Clericus a sua residentia recedat.

18. Etiam Reipublicæ evidens utilitas ab onere residendi excusat pro aliquo tempore. Hoc autem verificatur 1^o. quando agitur de aliquo implendo munere reipublicæ civilis, quod sit Episcopatu adnexum, quale erat munus Electorum in Germania. Simile huic arbitramur hodie esse munus senatoris ex lege regni conceditum Episcopis, qui ad dignitatem cardinalatus promoventur; nec non idem munus, quod sit adnexum alicui sedi episcopali in regno. 2^o. Quoties publicum magni momenti negotium ab alio quam a Clerico æque utiliter expediri nequeat. Hinc urgente regni causa

Episcopus potest esse ad tempus orator, seu legatus Principis sæcularis. Arg. *can. Si Episcopus Dist. 18. et c. 19. De Appellant.*

19. Nequeunt vero Episcopi officia retinere in curiis sæcularibus, quorum intuitu non excusantur ab obligatione residendi in propria Ecclesia. Immo contra Episcopos hujusmodi officia acceptantes, et eorum causa a propria sede recedentes Concilium Tridentinum insurgit, et commemorato prius onere conscientiae, renovat contra eos pœnas veterum canonum, et alias etiam pœnas de novo decernit, de quibus infra. Ita legitur in *c. 1. sess. 6. De Reform.* incipiendo a verbis *'Quia nonnulli quod vehementer dolendum est' etc.* Præterea contra Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos etc. absentes a Diœcesi graves pœnas statuit Urbanus VIII. in *Const. Sancta Synodus diei 12. Decemb. 1634.* et expresse adnotat, eos a pœnis non excusari prætextu et ratione cujuscumque servitii præstandi quibuscumque principibus, vel rebus publicis. Hæc dicta sint in genere de causis quæ a jure agnoscuntur ceu legitimæ ad aliquem clericum, et in specie ad Episcopum eximendum ad tempus ab onere residendi in propria Ecclesia vel in loco Beneficii.

20. Nunc aliquid in specie dicendum est de singulis classibus eorum, qui ad personalem residentiam obligantur. Et primo quidem de Episcopis quæritur, an posita existentia unius ex prædictis causis, aliquid aliud requiratur ut Episcopus legitime absit pro aliquo tempore a sua Diœcesi. Respondemus duo requiri 1º. ut per idoneos viros provideat spirituali bono fidelium sibi commissorum, 2º. juxta Tridentinum *in cit. c. 1. sess. 23. De Ref.* requiritur, ut una ex supra expositis absentiae causis a Romano Pontifice, aut a Metropolitanò, vel eo absente a Suffraganeo antiquiori residente, in scriptis probetur, nisi absentia contingat ob aliquod munus, et reipublicæ officium Episcopatu adnexum. Dixi *juxta Tridentinum*, nam res immutata est ab Urbano VIII. in *Const. Sancta Synodus citata*, cui consonat *Const. Benedicti XIV. Ad universa diei 3. Sept. an. 1746.* Ex hisce Constitutionibus habemus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis vetitum esse quominus a propria Diœcesi discedant, nisi obtenta prius Romani Pontificis licentia per Breve seu per literas missivas. Ut vero Sancta Sedes in hisce licentiis concedendis prævio maturo examine procederet, Urbanus VIII. specialem Congregationem Cardinalium instituit, de qua loquimur in *tit. De officio Judicis ordin. in Lib. I.*

Verum ipse Pontifex Urbanus VIII. excipit a sua lege casum 'personalis interessentiæ (Episcoporum) Synodis provincialibus vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut reipublicæ officii episcopatibus, vel ecclesiis minoribus adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent'.

21. Ex quibus tum Concilii Tridentini, tum Urbani VIII. verbis descendit, rigore juris non posse Episcopum qui ex voluntate principis laici vel ex voluntate populi electus sit ad officium Senatoris vel Deputati abesse a sua residentia absque licentia Romani Pontificis. Nam hoc officium non est Episcopatu adnexum, sed potius personæ quæ ob sua merita ad illud officium assumitur ex Principis beneplacito vel ex populi suffragio. Quare cum hic casus non sit præ oculis habitus sive a Tridentino, sive ab Urbano VIII.; hinc Doctores concludunt, tutius esse, licentiam petere a Romano Pontifice. *Conf. Lucidi De Visit. Sacror. Liminum. Vol. I. part. I. pag. 120. et 121.* in exceptione § 11. Instructionis Sacræ Congregationis Concilii *quest. I. n. 4. et 5.*

22. At mihi videntur in hac re magni facienda esse, 1º. honor et bonum quod Ecclesiæ redundare potest ex istis electionibus Episcoporum ad officium Senatoris vel Deputati, si legitime fiant. 2º. Consuetudo localis a notabili tempore inducta et constanter observata. 3º. Silentium Romanorum Pontificum, qui hujusmodi Episcopos ad legem residentiae non revocarunt. Ceterum indubium quidem est in exceptione Tridentini et Urbani VIII. comprehendi illos Episcopos, qui ad munus Senatoris in regno deputantur, vel ratione sedis, vel ratione dignitatis Cardinalatus qua a Romano Pontifice cohonestantur.

23. Quæritur secundo, an etiam absque ulla ex prædictis quatuor causis possit Episcopus abesse a sua Diœcesi? In sæpe cit. *can. 1. sess. 23. de Reform.* conceditur Episcopo, ut rationabili motivo, et absque gregis detrimento singulis annis per bimestre, aut ad summum per trimestre sive continuum sive interruptum possit a Diœcesi abesse. Porro rationabile motivum potest esse ipsa causa recreandi animum qui toto anni tempore curis et negotiis pastoralibus distentus, quiete precaria indigere præsumitur, ut vires reficiantur ad labores majori cum solertia inde suscipiendos. Admonet vero et hortatur sancta Synodus, ne hoc spatio bimestrali vel trimestrali comprehendatur tempus Adventus et Qua-

dragesimæ, vel dies Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris presentia oves debent, nisi episcopalia munia Diœceseos Episcopum alio vocent; simulque onerat conscientiam Episcopi, ut provideat, ne ex ejus absentia christiana plebs ullum detrimentum patiat.

24. Porro cum hæc facultas absentiae bimestralis vel trimestralis a jure ipso concedatur, quisque videt, hanc absentiam non requirere licentiam alicujus superioris.

25. Circa hanc absentiam vero adnotandum est, non posse Episcopum spatium absentiae unius anni conjungere cum absentia alterius anni, ex. gr. non potest Episcopus per quatuor aut sex continuos menses abesse, computando menses conciliares anni qui expirat, et menses alterius anni qui incipit. Quemadmodum resolvissse S. Congregationem Concilii Fagnanus refert *Comm. in cap. Qualiter 9. h. t. num. 40 et seqq.* Rationes hujus decisionis præcipue videntur esse, 1^o. quia semestrali aut quadrimestrali tempore facile comprehendi possent tempus Adventus et dies Nativitatis Domini, 2^o. quia ex mente Tridentini absentia Episcopi debet esse talis ut dici possit *aliquantisper abesse ut statim sit reversurus*. Quod certe asseri nequit de semestrali tempore continuo, quod semestrale tempus ab eodem Concilio in *c. 1. sess. 6. de Ref.* non breve reputatur, imo pœna amissionis quartæ partis fructuum unius anni mulctatur.

26. Præterea vetitum est Episcopis, ne bimestrale vel trimestrale tempus absentiae jungant sive cum eo tempore, quo ipsis permittitur post earum promotionem in urbe Roma commorari, prout infra videbimus, sive cum eo tempore quod eisdem conceditur ad peragendam visitationem Sacrorum liminum, sive etiam cum eo anni tempore, quo propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur a Diœcesi abesse. Tandem declaratum est, spatium bimestris vel trimestris absentiae intra cujusque anni terminos coërceri. Unde Episcopus qui uno anno usus non est indulto conciliari absentiae, non potest insequenti anno ultra tres menses a Diœcesi abesse. *Conf. Const. cit. Benedicti XIV. Ad universæ n. 6.*

De pœnis contra Episcopos non residentes.

27. Jure decretalium Episcopus sine legitima causa et propria temeritate recedens et notabiliter absens ab Ecclesia, si ad-

monitus non rediisset, poterat Episcopatu spoliari *c. 9. h. t.* Verum jus novum in hac materia inductum est a Concilio Tridentino in duobus citatis locis. In *c. 1. sess. 6.* renovat pœnas veterum canonum contra Episcopos absentes a Diœcesi, et deinde hæc statuit: si Episcopus, justis ac rationabilibus causis cessantibus, extra suam Diœcesim morando abfuerit sex et continuis mensibus, ipso jure incurrit pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni, applicandæ per superiorem ecclesiasticum fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus loci. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittit. Crescente vero contumacia Metropolitanus Suffraganeos absentes, absentem vero Metropolitanum antiquior suffraganeus Episcopus residens sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam eo ipso incurrenda, intra tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur; qui Romanus Pontifex in ipsos absentes pro quantitate contumaciæ animadvertet, ipsasque Ecclesias de utilioribus pastoribus etiam providebit. Et quidem tota hæc Concilii Tridentini dispositio seu sanctio omnes complectitur Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos quacunque dignitate, gradu et præminencia fulgeant, nec non eos qui ecclesiam vel patriarchalem vel primatiam vel metropolitanam vel cathedralem regunt, quocumque titulo, causa vel nomine, sive jure commissam. Unde Sanctio Concilii etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales comprehendit, qui aliquam Diœcesim regunt, prout expresse traditur in *sess. 23. c. 1.*, nec non eos qui aliquam Diœcesim sibi concreditam gubernant titulo commendæ vel administrationis.

28. At cognitum est, decretum hujusmodi fuisse ab aliquibus saltem ex parte perperam intellectum et applicatum. Ex eo enim inferebant, posse Episcopum impune abesse a sua Ecclesia vel Diœcesi per quinque integros menses. Concilium enim pœnam statuerat contra absentes ad sex menses. Ad hanc corrigendam interpretationem conflatum est decretum in *c. 1. sess. 23. de Ref.* in quo definitur legitima absentia Episcopi spatio annui bimestris, vel ad summum trimestris, quo transacto, præter peccatum lethale quod Episcopi absentes patrant contra eos renovantur pœnæ statutæ in *cit. c. 1. sess. 6.*, et insuper infligitur pœna amissionis fructuum pro rata temporis absentiae. Hæc vero amissio procedit ipso jure, nec expectari debet ab Episcopo absente aliqua sententia declaratoria superioris. Hinc Episcopus tenetur in conscientia quotam fructuum

temporis absentiae fabricae Ecclesiae aut pauperibus loci erogare. Quod nisi ipse Episcopus praestiterit, superior hanc perficit erogationem et quidem integram. Nam Concilium quamlibet compositionem seu condonationem fructuum etiam partialem interdicat.

29. At dubium exoritur circa modum computandi quantitatem amissionis fructuum. Nam ex dispositione *c. 1. sess. 6.* Episcopus absens per annum, amittit solum medietatem fructuum unius anni; ex dispositione autem *c. 1. sess. 23.* amittit omnes fructus pro rata temporis absentiae. Quomodo ergo Concilium asserit in *c. 1. sess. 23.* se renovare poenas *c. 1. sess. 6. de Ref.?*

Aliis omissis responsionibus, conformior menti Tridentinorum Patrum videtur esse responsio Lessii *lib. 2. De Just. et Jure c. 34. dub. 29. n. 157.* Concilium videlicet in *c. 1. sess. 23.* nedum renovavit poenam statutam contra Episcopos absentes in *c. 1. sess. 6.* relate ad applicationem fructuum, et relate ad denunciationem eorumdem Romano Pontifici faciendam, auxit vero et aggravavit poenam quoad quantitatem amissionis ipsorum fructuum. Dum enim ex *c. 1. sess. 6.* post sex menses illegitimae absentiae Episcopus amittere debuisse quartam partem fructuum unius anni, voluit Concilium in *c. 1. sess. 23.* ut amittat omnes fructus respondententes temporis ejusdem illegitimae absentiae, et in hypothese sex mensium post expletos tres menses designatos voluit ut amittat Episcopus fructus respondententes sex hisce integris mensibus illegitimae absentiae.

30. Quæritur utrum sufficiat residentia Episcopi in aliquo loco Dioceseos ad evitandas poenas a Tridentino latas, vel necessaria sit residentia in Cathedrali Ecclesia.

Consonum est intentioni juris ut Episcopus in sua Cathedrali Ecclesia ordinarie resideat; ea enim ceu sponsa Episcopi censetur. Hinc in canone *Placuit Caus. 7. q. 1. ex Conc. Carthag. V. C. S.* dicitur *'Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diocesi constitutam se conferre'*. Idemque patet ex *can. Episcopus De Consecr. Dist. 3.* Attamen si intra Diocesim resideat longe etiam ab Ecclesia Cathedrali, non incidit in poenas tridentinas. Nam Concilium in *sess. 23. c. 1.* paulo post initium loquitur de obligatione Episcoporum in *Ecclesia vel in Diocesi.* Unde Concilium ad incurrendas poenas a se statutas utrumque copulative saltem implicite requirit, ut nempe Episcopus absit ab Ecclesia et a Diocesi. Quando autem duo copu-

lantur praesertim in poenalibus, ut applicetur dispositio, utrumque debet verificari *1. inter omnes 46. § Recte H. ff. De furtis.*

31. Imo dicendum est, Episcopum legi residentiae satisfacere, si commoretur in qualibet parte suae Dioceseos, dummodo tempore a Tridentino *sess. 23. c. 1.* praescripto pergat ad Cathedrali. Ita resolvit S. Congr. *die 17. Decemb. 1649.* Hæc resolutio suum habet fundamentum etiam in *cap. 1. sess. De Ref.* ubi Tridentinum loquens de Episcopo in materia residentiae delinquente, scribit: *'extra suam Diocesim commorando'*.

Quid vero dicendum de temporibus Adventus et Quadragesimae, et de diebus Nativitatis et Resurrectionis Dominicae, nec non Pentecostes et Corporis Christi? Porro ex mente Tridentini Episcopus hisce diebus et temporibus residere debet in civitate episcopali, seu in Ecclesia cathedrali, ut officia pastoralia ibi persolvat, nisi episcopalia munia in sua Diocesi eum alio vocent. At etiam dicendum esse videtur Episcopum absentem non incidere in poenas non residentibus a Concilio inflictas. Tridentinum enim solummodo admonet et in Domino hortatur Episcopos ut hisce diebus et temporibus a Cathedrali Ecclesia non absint. *Conf. Angelus Lucidi citato opere et loco pag. 122. n. 9. et Fagnanus Comm. in c. 9. h. t. n. 39.*

32. Quæri insuper potest, utrum Episcopus, qui duabus Diocesibus aequè principaliter unitis praest, legi Tridentinae satisfaciatur, si in una tantum resideat. Hac in re binas resolutiones habemus sacrae Congregationis Concilii; primam *diei 18. Junii 1624* in qua dictum fuisse deprehendimus, Episcopum civitatis Castellanae et Hortanae residentem in aliquo loco alterutrius Dioceseos legi Tridentinae satisfacere dummodo temporibus a Tridentino designatis resideat in aliqua ex duabus cathedralibus Ecclesiis. Secundam resolutionem habemus in causa *Viterbiensi et Tuscanæ diei 11. Jan. ann. 1783 ad 4^a. dub.* in quo proposita quaestione, *an Episcopus teneatur residere in civit. Tuscanensi per aliquod temporis spatium singulis annis in casu?* Responsum est: *arbitrio et prudentia Episcopi et ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo, decere ut interdum resideat etc.* Ex quibus resolutionibus patet, proprie dictam legem non adesse, qua obligetur Episcopus duarum Diocesum aequè principaliter unitarum in utraque alternatim residere, maxime autem conveniens esse, ut si in una Diocesi ordinarie resideat, etiam in altera aliquo tempore in anno commoretur,

et in cathedrali Ecclesia aliquas sacras functiones perficiat. Quem admodum in eadem causa resolvit S. Congr. ad 3^m. dubium.

33. Verum aliter sentiendum esset, si ex Pontificia Bulla unionis Ecclesiarum Cathedralium, aut ex constitutionibus earundem approbatis ab auctoritate suprema in Ecclesia resultaret, definita esse tempora residentiae alternativae in utraque Cathedrali vel Diocesi. Hac enim in hypothese, servanda esset ab Episcopo hæc specialis residendi lex. Hæc dicta sint juxta legem Tridentinam.

34. Adjicienda autem sunt, quæ ex posterioribus Constitutionibus Romanorum Pontificum huic legi accesserunt. Accessit 1^o. Constit. *In suprema Pii IV. edita die 23. Nov. 1564.* In hac Const. contra Episcopos non residentes juxta legem Tridentinam, ultra pœnas in ipso Concilio statutas, etiam decernitur ceu pœna ferendæ sententiæ, privatio a regimine et administratione suarum Ecclesiarum; nec non privatio facultatis testandi, et eorum bona Camera spoliolum addicuntur.

35. Accessit consistoriale decretum Clementis VIII. relatum ab Urbano VIII. in Const. *Sancta Synodus* in quo constituitur pœna inhabilitatis ad majores dignitates Ecclesiæ obtinendas.

36. Lata insuper est cit. Const. *Sancta Synodus* ab Urbano VIII. quæ prodiit *die 12. Decembr. 1634.* In hac Const. Urbanus statuit, non licere Episcopis ac majoribus Prælatibus etiam Cardinalibus, a suis sedibus discedere absque licentia R. Pontificis per Breve, aut per litteras missivas obtenta 1^o. sub pœna interdicti ab ingressu in Ecclesiam ipso facto incurrenda; et 2^o. sub pœna amissionis fructuum pro rata temporis et facultatis testandi. Præterea Urbanus iisdem pœnis latæ sententiæ mulctat Episcopos qui commorantes in Curia Pontificis intra unum mensem a die promotionis, intra duos menses, morantes in Italia, et inter quatuor menses morantes extra Italiam iter non aggrediuntur ut ad residentiam sese conferant. Animadvertimus vero interdictum latæ sententiæ, de quo in Const. *Sancta Synodus* Urbani VIII., a Pio IX. renovatum non fuisse in Const. *Apostolicæ Sedis*, adeoque non valere amplius. Insuper tertio loco Urbanus Cardinalibus Episcopis ad urbem accedentibus, Pontificem eligendi causa, concedit bimestrale spatium commorationis in urbe post coronationem Pontificis. Hoc vero trimestri elapso, subjicit eosdem omnibus supradictis pœnis, nisi ad propriam Diocesim redeant.

37. Porro Bened. XIII. in *Concilio Romano Tit. 17. c. 2.* concessit Cardinali in Urbe Vicario facultatem prorogandi, causa cognita, ad alios quadraginta dies, mensem indultum ab Urbano VIII. Episcopis in Curia promotis. Hoc tempus computatur a die promotionis in Consistorio Papæ. Quo elapso Episcopi sese conferre debent ad propriam Diocesim.

38. Tandem huc referenda est Constit. Bened. XIV. *Ad Universæ diei 3. Sept. 1746.* Renovat in ea Summus Pontifex et confirmat leges et constitutiones circa Episcoporum residentiam latas a suis prædecessoribus, et pœnis statutis in iisdem constitutionibus novas pœnas adjungit, scilicet 1^o. privationem ipso facto incurrendam omnium indultorum et privilegiorum, quæ Episcopi forsitan tamquam assistentes Pontificio Solio fuerant assecuti, et 2^o. amissionem juris conferendi beneficia ecclesiastica in mensibus episcopalis juxta regulam IX. Cancellariæ Apostolicæ.

39. Quædam coronidis loco dicenda sunt de S. R. Ecclesiæ Cardinalibus. Cardinales S. R. E. in ordine ad residentiam in quatuor classes sunt dividendi; scilicet Cardinales vel nulli præsumt episcopatu, vel episcopatum regunt suburbicarium, vel Episcopi sunt alicujus Diocesis non suburbicariæ, vel tandem possunt habere duas sedes, quarum una sit ex sex suburbicariis, alia vero non.

Sit sermo primum de Cardinalibus, qui nulli præsumt episcopatu. Uti constat ex historia ecclesiastica, Cardinales instituti sunt, ut in Urbe Roma Summo Pontifici operam suam exhiberent. Hinc exceptis Cardinalibus Episcopis suburbicariis, reliqui omnes Cardinales sive ordinis presbyteralis, sive ordinis diaconalis habuerunt, et adhuc habent Romæ suos titulos, idest Ecclesias, quibus præsumt. Quare Cardinalium ordinaria residentia, inspecta origine hujus dignitatis, Romæ figenda est. Ad rem facit *caput 2. h. t.* ubi explicite exhibetur obligatio Cardinalium residendi in Ecclesia proprii tituli.

40. At Cardinales facti sunt etiam Consilarii Romani Pontificis. Unde dicti sunt collaterales ejusdem, assessores, coadjutores; et eorum Collegium constituit senatum illius. Conf. Benedictus XIV. *De Syn. lib. 13. c. 1. n. 7.* Quare Cardinales consilio suo Summum Pontificem in regimine Ecclesiæ universalis coadjuvant *cap. Fundamenta 17. De Elect. in 6^o.* Ex hac intima relatione Cardinalium cum Summo Pontifice factum est, ut antiqua lex residentiae Cardinalium in suis titulis in urbe immutaretur in